

*Russia.*

**R**ussia seu Ruthenia, quæ & Podolia, olim uero Roxalana, regio est fertilissima, ut etiam agro obiter culto, frumentoq; insperso, tribus perpetuis annis fructu ferat. Nec opus est agrum quotannis inuertere, sed inter metendum segete leniter excussa, alia insequentem annu sua sponte crescit. Gramen adeo procerum producit, ut perticam transcendat. Unde ibi apud tanta est copia, ut mella nedum in aluearibus & arboribus, uerum & in rupium atq; terre cauernis reponant, ex quibus optimus melleo & grandes cerarum fiunt orbes. Non impiscantur ibi piscine & stagna, sed ut aiunt, pisces ex cœli succrescunt influentia. Versus Tanaim & Mæotim calamo aromatico & reupontico abundat, pluribusq; herbis & radicibus alijs alibi non uisus. Solo uino carent Rutheni, sed quod alium de aduehitur, nempe ex Ungaria, Moldauiâ & Vualachia.

*Dacia.*

**R**egio illa quæ olim Dacia fuit uocata, hodie in uarias diuisa est prouincias, nempe in Transyluaniam, Rasciam, Seruiam, Septem castra & Bulgariam. Transyluani, qui uulgo Zipser uocantur, putantur olim fuisse Getarum & Triballi & Rasciani Mæsijs. Ante paucos annos, omnes regiones istarum fuerunt sub corona Ungaricæ, hodie uero quedam sustinetur Turcæ imperium. Septemburgenses à septem castellis sic appellati, olim ex Saxonia per Carolum Magnum in eum locum fuerunt destinati, ideo in hunc usque diem in medio Sclauonicæ et Ungaricæ linguæ loquuntur Germanicè.

*Vualachia.*

**V**ualachia à Romano duce Flacco, qui eam regionem expugnauit, primum Flaccia appellata est, deinde temporis successu Flaccia degenerauit in Falachiam, quam uocem Germani mutauerunt in Vualachiam.

*Macedonia.*

**H**æc hodie pro magna parte est Albania, quæ in Epirum usque porrigitur, olim à rege Ematho appellata Emathia. Fuit ab initio Macedonia regnum angustum & paruum, sed uirtute et uulgi prudentia latissime propagatum est, dum non modo uicinas regiones suæ subdiderunt ditioni, uerum & quæ longissime semota erant, sibi audientes fecerunt. Quum enim Græcæ ciuitates inter se prælijs maderent, & quædam regem Philippum Macedonem in ducem elegissent, quo alijs potentiores essent, breui factum est, ut Philippus tam has quam illas urbes suo subijceret regno, uarijs usus insidijs & astutijs. Deinde Epirum quoque sibi audientem fecit, expulso eius terræ rege. Sed & regi Scythiæ, cuius ditio pretendebatur ab Aquilone usque ad eum locum, ubi Danubius in mare sese effundit, inestimabilem abduxit rapinam, tantasq; equitum & militum copias in unum collegit, ut etiam Persæ rex sibi timeret, qui imperium suum ampliatu rat usque ad Ponticum mare. Et quum breui post tempore percussus moreretur, filius eius Alexander Magnus, regnum illud Macedonicum propagauit ferè usque ad Indiam. In Macedonia est Olympus mons, qui excellenti uertice tantus attollitur, ut in cacumine eius nec nubes nec uenti sentiantur. Sunt qui eum scribunt decem stadijs in altum porrigi.

*Græcia.*

**G**ræcia à quodam Græco, qui in Georgia olim rerum potitus est appellata. Thermopylæ mediam dirimunt, ut Italiam Apeninus. Extremos montes ab oriente ad occasum extensos Oetham uocant, quorum summum uerticem Calidromum uocant per cuius uallem in Malliacum sinum iter angustum est, cætera loca adeo ardua & perplexa ut ne expeditis sint peruia, ideo pylæ quasi portæ dicuntur, & à calidis aquis ibi nascentibus Thermopylæ. Iacent ad mare Acarnania, Aetolia, Locri, Phocis, Bœotia,